

§. I.

Prior assertio.

40 Dicendum est primò, in omnibus obiectis specificantibus actus morales dari moralitatem obiectivam. Hanc assertionem tenent communiter Theologi; camque supponit D. Thomas in præf. art. 2. in argumento Sed contra: quest. 19. sequenti art. 1. ad 3. & quest. 20. art. 1. 2. & 3. Ex quibus locis deponitur ratio fundamentalis prædictæ assertionis: Nam actus moralis specificatur ab obiecto vt moralis: ergo in obiecto debet dari aliqua moralitas obiectiva. Consequentia probatur: nam si obiectum specificat actum moralem, debet præstare actui moralitatem in genere causæ formalis obiectivæ: ergo debet in hoc genere illam præcontinerere: vt contingit in omnibus obiectis specificantibus suos actus in quacunque linea, & in omnibus alijs causis, proportionate servata. Iam sic; sed obiectum morale nequit præcontinerere moralitatem actus, nisi ratione alicuius moralitatis obiectivæ; sicut obiectum in esse physico non posset præcontinerere bonitatem physicam actus, nisi haberet in se aliquam bonitatem physicam obiectivam: ergo si actus moralis specificatur ab obiecto morali, in hoc debet residere aliqua moralitas obiectiva.

Et confirmatur primò: Nam obiectum morale subijcitur regulis morum, sicut actus moralis, proportionate servata; sed quia actus subijcitur regulis morum, habet in se aliquam moralitatem: ergo etiam obiectum. Quæ confirmatio potest extendi ad habitus, qui sunt principia actuum moralium in genere causæ efficientis, in quibus residet aliqua moralitas præcontenitiva actus, vt moralis.

Confirmatur secundò: Nam in obiectis artificialibus reperitur aliqua bonitas, aut malitia obiectiva artificialis: ergo etiam in obiectis actuum moralium reperiri debet aliqua bonitas, aut malitia moralis obiectiva. Consequentia patet à paritate.

Confirmatur tertio: Ratio, propter quam actus moralis est bonus, est, quia obiectum est moraliter bonum; & ratio, propter quam actus est moraliter malus, est, quia obiectum est moraliter malum, iuxta illud Offic. 9. Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt (ex quo infert Div. Thomas loco relato in argum. Sed cont. Ergo malitia operationis est secundum obiecta mala, quæ homo diligit: ) ergo in obiectis moralibus est aliqua moralitas obiectiva.

41 Sed obijciens: Deus potest esse obiectum odij: ergo in obiecto nequit esse moralitas obiectiva. Patet consequentia: aliàs in Deo esset moralitas obiectiva mala, quatenus est obiectum odij.

Ad hanc objectionem varias adhibent resolutiones Auctores, quasi continerent difficultatem magni ponderis, cum reverà omni difficultate careat: Nam quamvis Deus in se non habeat malitiam obiectivam, habet tamen illam in apprehensione illorum, qui illum odio habent: Et hoc sufficit ad terminandum actum non via profecationis, sed per modum fuge.

§. II.

Posterior, & præcipua assertio.

42 Dicendum est secundò, moralitatem obiectivam proximam non esse puram denominationem extrinsecam desumptam à lege; sed esse aliquam expressionem intrinsecam obiecto per modum habitudinis ad legem. Diximus proximam: quia præter moralitatem obiectivam proximam necesse est considerare aliam fundamentalem obiectivam; de qua non nihil intra dicemus. Hæc assertio, quamvis non sit adeo communis, sicut præcedens, defenditur à pluribus Thomistis, à Coner, Ioanne à Sancto Thoma, N. Salmant. & alijs contra plures extra Scholam Div. Thomæ, & nonnullos Thomistas. Eamque tueri tenentur, quotquot docent, peccata distingui, non ex diversitate præceptorum, sed ex diversitate motivorum, ratione quorum prohibentur.

Et probatur ratione: Nam si moralitas obiectiva proxima esset mera denominatio extrinseca proveniens à lege, actus moralis potius specificaretur à lege, quam ab obiecto; sed hoc est falsum, iuxta dicta dubio præced. ergo moralitas obiectiva proxima non est pura denominatio extrinseca proveniens à lege. Sequela maioris probatur: nam talis actus respiceret tantquam rationem sub qua ipsam legem; à qua provenit denominatio extrinseca, sicut in nostra sententia respicit per modum rationis sub qua moralitatem obiectivam per modum cuiusdam habitudinis intrinsecæ ad legem obiecto attingit; sed ratio sub qua est principale specificativum actus, habens, sive potentia: ergo potius specificaretur à lege, quam ab obiecto.

Et confirmatur: Nam si moralitas in obiectis esset pura denominatio extrinseca proveniens à lege, iuxta diversitatem legis diversificarentur moralitates in actibus; sed hoc est falsum: ergo moralitas in obiectis non est pura denominatio extrinseca proveniens à lege. Minor, in qua tantum potest esse difficultas, probatur primo: Nam furtum prohibetur lege divina, naturali, & humana, quibus præcipitur restitutio; & tamen respective ad prædictas leges furtum, aut restitutio non habet nisi unicum tantum moralitatem: ergo iuxta diversitatem legis non distinguantur moralitates. Secundò: Nam peccatum commissiois, & peccatum omissionis, quoties

ries habent idem motivum, sunt eiusdem speciei in esse moris; & tamen opponuntur diversis præceptis, & legibus; siquidem peccatum omissionis opponitur præcepto positivo, & peccatum commissiois præcepto negativo: ergo idem, quod prius. Tertio: Nam furtum, & animus furandi prohibentur diversis præceptis; siquidem furtum externum prohibetur in septimo præcepto Decalogi, & desiderium internum furandi in decimo; & tamen non habent diversas malitias: ergo.

Confirmatur secundò: Nam si actus moralis specificaretur à lege, seu præcepto, hoc se habente per modum rationis sub qua, omnes actus boni nullam aliam bonitatem haberent præter bonitatem obedientiæ, & omnes actus mali nullam malitiam præter malitiam inobedienciæ: siquidem ratio sub qua esset eadem, quamvis rationes quæ, seu obiecta, quæ præcipiuntur, aut prohibentur, sint valde diversa; & hæc ratio, quia præceptum est obiectum speciale obedientiæ, omnes actus ex motivo obedientiæ sunt eiusdem speciei, quamvis versentur circa materias diversas; sed hoc non potest admitti: ergo lex, aut præceptum non est ratio sub qua specificativa actus moralis, sed illa commota residet in obiectis propria, & intrinseca moralitas obiectiva.

43 Respondent Adversarij, diversitatem moralitatis non solum desumi à diversitate præceptorum, quæ extat iuxta diversitatem materie intra lineam cuiuslibet virtutis, sed etiam ex diversitate ipsius materie, dummodo pertineat ad diversam virtutem.

Contra est: Nam materia virtutum vel se habet pro formali; & tanquam ratio sub qua; vel præcisè pro materiali; & tanquam ratio quæ, ita ut præceptum se habeat vt ratio sub qua? Si dicatur primum: ergo iam in obiecto reperitur quedam expressio intrinseca specificans actum moralem. Si dicatur secundum: ergo ratio formalis specificandi, & distinguendi actus morales non est materia, seu obiectum, sed lex, & præceptum: ergo omnes actus sunt eiusdem speciei in genere moris. Probatur consequentia: Nam omnes illi actus sunt eiusdem speciei, qui habent idem motivum formale; sed eo ipso, quòd præceptum sit ratio formalis sub qua, omnes actus habent idem motivum formale, ita ut diversitas præceptorum penes naturale, divinum, & humanum, & penes diversas materias se habeat de materiali: ergo omnes actus essent eiusdem speciei in genere moris.

Explicatur hoc: Nam obiecta formaliter distinguuntur, vel quia leges proponunt diversas materias, vel quia leges ex se distinguuntur penes naturalem, divinam, & humanam? Si dicatur primum: ergo obiecta, prout subijciuntur præceptis, habent moralitatem intrinsecam. Si dicatur secundum: ergo actus respiciens diversas has leges habet diversas moralitates præ-

cise per ordinem ad illas; quod est falsum.

44 Probatur secundò ratione: Nam moralitas obiectiva distinguitur realiter, & genericè à denominatione proveniente à lege: ergo moralitas obiectiva non consistit in denominatione extrinseca proveniente à lege. Antecedens probatur: nam denominatio proveniens à lege, sive prohibitiva, sive præceptiva, est de genere boni, sicut ipsa lex; sed moralitas obiectiva (vt g. ) furti est de genere mali: ergo moralitas obiectiva distinguitur realiter, & genericè à denominatione proveniente à lege. Neutraque præmissa est per se nota: & consequentia legitima.

Et confirmatur: Nam idem obiectum itans sub eadem denominatione proveniente à lege potest terminare actum bonum, & actum malum: ergo prædicta denominatio non est ratio sub qua specificativa actus moralis, sed assignanda est moralitas obiectiva intrinseca. Antecedens est certum: nam furtum, vt itat sub lege prohibente illud, potest terminare volitionem furandi, & volitionem non furandi, quorum actuum primus est dissonus legi, & secundus consonus. Consequentia verò probatur: nam nequit dari diversitas actuum, nisi assignetur diversitas formalis sub qua; sed denominatio extrinseca proveniens à lege prohibente furtum semper est eadem formaliter, & actus bonus, & malus distinguuntur specie in genere moris: ergo, præter denominationem extrinsecam proveniente à lege, assignanda est diversa moralitas intrinseca obiecti.

45 Illud autem quod in præcedentibus articulis non est expressè notatum, nunc expressè notandum est: scilicet, quod moralitas obiectiva non est ratio quæ, sed ratio sub qua.

Quæstio nona: quedam circa eandem materiam. Illorum octava est de moralitate obiectiva.

PRO exacta intelligentia huius moralitatis obiectivæ, inquires primò: In quo consistat moralitas obiectiva? Ad quod respondetur, prædictam moralitatem consistere in quadam relatione transcendentali intrinseca subiectionis, quam obiectum dicit ad legem, subiectione activa per quam explicatur dominium, & potestas legis supra obiectum, & à qua provenit obiecto sua denominatio extrinseca, ad eum modum quo à visione obiectum dicitur extrinsece visum) se habente per modum conditionis omnino necessariæ. Hæc vltima pars facile probatur: Nam, sicut lex, obiectum est iam in genere morali; sublata lege, non est in genere moris formaliter: sed tantum in genere physico; & ad summum in genere moris radicaliter seu fundamentaliter: ergo lex subordinans sibi obiectum requiritur per modum conditionis ad moralitatem obiectivam.

Prima & præcipua pars ostenditur: Nam moralitas obiectiva non consistit præcisè in denominatione extrinseca proveniente à lege, vt ex dictis constat, nec in formalitate omnino ab-



soluta, quia dependet à lege, saltem tanquam à connotato, neque in relatione prædicamentali, sicut nec moralitas actus: ergo consistit in relatione intrinseca transcendentali subiectionis, quam obiectum dicit ad legem. Patet consequentia: quia nihil aliud potest excogitari.

46 Inquires *secundo*: An distinguatur realiter ab entitate obiecti? Respondetur negative. Et ratio est: nam si distingueretur realiter ab entitate, consisteret in quodam modo realiter superaddito, sed moralitas obiectiva non superaddit aliquid modo realiter distinctum ab entitate obiecti: ergo non distinguitur realiter ab entitate obiecti. Minor probatur: nam nulla est assignabilis causa producens talem modum, quia nec est legislator, cum nihil intrinsecum ponat in obiectis ex vi legis nec est voluntas, ut subiecta legi, & operans moraliter, propter eandem rationem, sicut nec videns producit aliquid intrinsece in obiecto viso: ergo moralitas obiectiva non consistit in modo realiter superaddito entitati obiecti.

Confirmatur *primo*: Nam moralitas in voluntate, & habitu non est quid realiter distinctum ab earum entitate: ergo idem dicendum est de obiecto. Consequentia à paritate constat, quia principium, & obiectum sibi correspondent, sicut agens, & finis. Antecedens verò quoad habitum satis constat ex dictis num. 17. Quoad voluntatem probatur: nam eo ipso, quod concipiamus entitatem physicam illius, & accedat determinatio legis, concipimus principium adestatum actus moralis; sed determinatio legis nihil intrinsecum ponit in voluntate: ergo moralitas voluntatis non distinguitur realiter ab eius entitate.

Confirmatur *secundo*: Nam si moralitas in obiectis distingueretur realiter ab eorum entitate, per se haberet entitatem non pertinere ad genus moris per modum obiecti, & termini; sed hoc est falsum: ergo moralitas in obiectis non distinguitur ab eorum entitate. Sequela maioris constat in actu moralis; in quo, quia moralitas distinguitur realiter ab eius entitate, per se haberet entitatem non pertinere ad genus moris. Minor verò probatur: nam moralitas obiectiva non est perse instituta ad hoc, ut faciat obiectum esse rem moralem formaliter, seu in esse rei, sed quod non est capax libertatis, sed tantum constituit illud in ratione termini, sicut moralitas voluntatis non constituit illam moralitatem in essendo, sed tantum in operando moralitatem actus: sed quia moralitas voluntatis non est talis formaliter, sufficit eius entitas physica connotans legem, ad hoc vt sit principium efficiens actus moralis, vt moralis: ergo idem dicendum est de entitate physica obiecti in ordine ad terminandum talem actum.

47 Sed obijciat: Nam moralitas obiectiva

proxima est separabilis ab obiectis ergo distinguitur realiter ab illo. Antecedens probatur: nam ante legem non est in obiecto moralitas obiectiva proxima, accedente lege est in eo. Insupermodi moralitas: ergo est separabilis ab eo. Et confirmatur: Nam propter hanc rationem supra probavimus, moralitatem actus distingui realiter ab eius entitate.

Ad obiectionem respondetur distinguendo antecedens est separabilis quoad denominationem, concedo antecedens, quoad entitatem nego antecedens & negatur consequentia. Nam, sæpe contingit, quod aliqua forma ad tribuendam suam denominationem primariam pendeat ex connotatione alicuius extrinseci, quo connotato tribuit prædictam denominationem sine additione alicuius intrinseci, & eo non connotato, illam non tribuit, qui propterea adimatur aliquid intrinsecum: vt liquet in actu libero Dei, in materia prima, & specie Angelica, vt alibi explicauimus. Et idem proportionabiliter dicimus de entitate obiecti, & voluntatis, quæ si connotant determinationem legis, habeant absque aliquo superaddito quicquid requiritur, vt obiectum sit terminus actus moralis, & voluntas principium. Si verò non connotant legem, neque voluntas est principium morale, nec obiectum est terminus moralis, non ex defectu alicuius intrinseci, sed ex defectu connotati præcisè: nam suamet entitas, quantum est ex se, satis est à præstantia prædicta munita, dummodo connotet legem.

Ad confirmationem respondetur, esse notam disparitatem inter actum, & obiectum morale. Tam, quia actus moralis constituitur per formam, quæ est talis in esse rei, moralitas verò obiectiva non constituit obiectum formaliter morale, seu in esse rei, sed tantum in ratione termini; quam rationem potest exercere per suamet entitatem connotantem determinationem legis. Tam etiam: quia actus non aliter est moralis, nisi prout voluntas præstat speciale influxum in genere moris, quem nequit aliter explicare, nisi producendo in actu aliquid pertinens ad genus moris. At, producta entitate obiecti, non est assignabilis influxus alicuius causæ producentis moralitatem obiectivam. Et his de causis, quamvis moralitas actus debeat distinguari ab eius entitate, & libertate, fecus verò moralitas obiecti. Pro quo recolantur, quæ diximus tract. præced. disp. 2. num. 34. quæ præsentem materiam possunt accommodari.

48 Inquires *tertio*: An præter moralitatem obiectivam proximam, de qua hucusque loquuti sumus, assignanda sit in obiectis alia moralitas fundamentalis? Respondetur affirmatiue: quia Deus necessario prohibet mendaciam (vt g.) & odium sui: ergo oportet ante legem prohibentem assignari in prædictis actibus aliqua moralitas fundamentalis, ex qua Deus moueatur, &

te-

rebeat illos prohibere, ergo assignanda est moralitas aliqua fundamentalis obiectiva. Idemque dicendum est proportionabiliter de obiectis, quæ sunt mala, quia prohibita. Ad quod explicandum quaeritur, quid sit in illis hæc moralitas obiectiva?

Dicimus ergo moralitatem hanc radicalem consistere in quadam habitudine convenientiæ, aut disconuenientiæ, quam obiecta dicunt ad naturam rationalem pro priori ad legem præcipientem, aut prohibentem. Et ratio est, quia prædicta natura est radix dictaminis rationis, estque principium, & radix omnis naturalis inclinationis: aliunde non est aliud assignabile, per ordinem ad quod præfata moralitas radicalis desumatur: ergo consistit in habitu, quam obiectum dicit ad naturam rationalem. Hoc autem intelligendum est de obiectis, quæ sunt intra ordinem naturæ: nam si sermo sit de obiectis ordinis supernaturalis, moralitas fundamentalis eorum debet proportionabiliter consistere in habitu, qui est convenientiæ, aut disconuenientiæ ad gratiam, quæ est natura in prædicto ordine, & radix omnis inclinationis intra eundem ordinem.

Ad sciendum autem, quæ obiecta important prædictam habitudinem, notandum est cum Div. Thoma infra quæst. 94. art. 2. hominem quatuor inclinationes habere: primam, quatenus est individuum, seu quatenus tendit ad conservationem sui esse individualis: secundam, quatenus tendit ad propagationem suæ speciei tertiam, quatenus est animal politicum, & sociabile: & quartam ad cognoscendam veritatem. Igitur omnia ea obiecta, quæ sunt iuxta, aut contra prædictas inclinationes, habent moralitatem hanc obiectivam, radicalem, & fundamentalem moralitatem proximam. Videantur N. Salmant. in præf. disp. 1. num. 90. vbi declarant obiecta in particulari, quæ cuiuslibet ex his inclinationibus congruunt, aut repugnant. Obiecta autem, quæ sunt præter dictas inclinationes, sunt indifferencia, & consequenter sunt ex se extra genus moris. Et licet actus sistentes in illis sint peccaminosi, hoc accidit, quia in circumstantia caret debiti finis reperitur malitia fundamentalis.

#### 6. IV.

Sententia secunda, & præcipua assertioni opposita.

49 Opinione contrariam nostræ secunde, & præcipue conclusioni tenet ex Thomistis Ildephonus Baptista in præf. disp. 175. num. 273. referens pro ea alios Thomistas, & à fortiori quotquot affirmant, moralitatem in actibus esse denominationem extrinsecam. Pro qua:

Arguitur *primo*: Nam moralitas est analogum attributionis respectu actus, & obiecti ergo tantum reperitur intrinsece in actibus. Patet consequentia: Nam analogum attributionis tantum petit inueniri intrinsece in principali analogato, & in alijs solum denominatiue & extrinsece; vt liquet in sano, quod in animali reperitur proprie & intrinsece, & in alijs, vt in medicina, & vrina, tantum extrinsece. Antecedens verò probatur: nam moralitas inæqualiter conuenit actibus, & obiectis; sed hoc est proprium analogi attributionis: ergo.

Ad argumentum (quod æquivocatione laborat) facile respondetur; distinguendo inter moralitatem formalem, & moralitatem vt sic, prædicentem à moralitate potentia, habitus, actus, & obiecti. Si sermo sit de moralitate formali potest concedi, quod intrinsece conuenit actibus, & denominatiue, & extrinsece obiectis. Si verò sit sermo de moralitate vt sic, & non tantum formali, ita est analogum attributionis, quod sit etiam analogum proportionalitatis, & petit reperiri intrinsece tam in actibus, quam in obiectis. Et retorquetur argumentum ipso exemplo sani, quo vitur: nam si sermo sit de sanitate, prout abstrahit à sanitate formali, & causali, hoc pacto reperitur intrinsece non solum in animali, sed etiam in medicina. Et sicut sanum hoc modo sumptum, non obstanti quod inæqualiter reperitur in animali, & medicina, intrinsece reperitur in eis, pariformiter dicendum est de moralitate vt sic.

50 Arguitur *secundo*: Nam obiecta moralia duo habent, & esse regulabilia à ratione, & terminate actus morales; sed ex neutro capite important aliquid intrinsecum: ergo moralitas in obiectis nihil intrinsecum dicit in eis. Minor probatur: nam imprimis lex nihil intrinsecum ponit in obiectis, sed præcisè denominationem extrinsecam. Deinde, per hoc quod res visa terminet visionem, visio nihil intrinsecum ponit in re visa: ergo.

Respondetur quod licet nec actus moralis, aut lex ponant aliquid intrinsecum in obiectis, posita tamen lege resultat, vel quasi resultat in eo relatio intrinseca conformitatis, aut difformitatis ad ipsam legem: nam entitas obiecti, quæ ante existentiam legis, non impedit prædictam relationem, connotans illam dicit intrinsecam habitudinem ad eam modo explicato num. 47.

51 Arguitur *tertio*: Habitudo, quam dicit obiectum ad rationem, non est realis: ergo moralitas obiectiva non est quid intrinsecum, sed ens rationis, aut denominatio extrinseca. Antecedens probatur: nam habitudo, quam dicit obiectum vt conueniens, aut disconueniens naturæ rationali, non est realis: ergo nec habitudo, quam dicit ad rationem, seu legem. Antecedens probatur: nam sæpe obiectum non est

ex



ex natura sua conveniens, aut disconveniens nature rationali, sed ex lege, quinimo multoties secundum se est bonum, & conveniens, & redditur inconveniens ratione legis prohibentis, ut liquet in celebratione Missæ, qua secundum se est bona & conveniens, & redditur disconveniens ratione præcepti supervenientis tempore interdicti: ergo habitudo, quam dicit obiectum, ut conveniens, aut disconveniens natura rationali, non est realis. Patet consequentia: alias hæc habitudo intrinseca, & realis proveniret à præcepto, cum ex se illam non habeat.

Explicatur hoc: *Essè* obiectivum morale non est aliquid ex natura rei in obiecto reperiendum, sed aliquid ei adveniens ex beneplacito Legislatoris talem, vel talem legem ferentis: ergo tantum est denominatio extrinseca. Patet consequentia: nam non alia ratione moralitas in alijs rebus videlicet in pretijs rerum venalium, non est nisi denominatio extrinseca.

Confirmatur: Nam accessus viri ad mulierem, in tantum est malus, in quantum est non sua, & in tantum est bonus, in quantum est sua; sed quod mulier sit sua, vel non sua, est tantum denominatio extrinseca, ad eam modum quod eolumnam esse dextram est denominatio extrinseca proveniens à dextera hominis: ergo moralitas obiectiva est denominatio tantum extrinseca.

Ex hoc argumento inferitur *primò*, quod moralitas in actu sit etiam denominatio extrinseca, ut cuilibet consideranti constabit. Quocirca ad hoc idem assumptum eo vitatur Adversarij. ¶ Inferitur *secundò*: moralitatem obiectivam fundamentalem non esse, nisi denominationem extrinsecam: siquidem desinitur per ordinem ad naturam rationalem, ut supra diximus; & non negant Adversarij, ad quam in eorum sententia obiectum non dicitur habitudinem ex natura sua.

Respondetur ergo ad argumentum, quod cum moralitas obiectiva proxima non distinguatur à fundamentali realiter, sed hæc eadem, prout dicitur habitudinem ad naturam rationalem, dicitur fundamentalis, & prout dicitur habitudinem ad legem actu existentem, dicitur formalis, semel ostenso, quod habitudo fundamentalis sit intrinseca & realis, etiam colligi debet, quod habitudo, quam dicitur obiectum ad legem, sit intrinseca & realis. Igitur negandum est, quod obiectum non sit ex natura sua conveniens, aut disconveniens nature rationali. ¶ Pro cuius explanatione, nota obiecta dici consona, aut dissona nature rationali, prout consonantia, aut dissonantia est de genere moris saltem fundamentaliter, sumpta natura rationali ut *rationalis* est. Et cum natura rationalis, ut *rationalis* est, sit radix dictaminis rationis, qua est lex, & regula proxima moralitatis proxime, illud obiectum erit consonum nature rationali, quod

conformatur cum illa, prout potest radicare dictamen rationis, cui conformatur; & illud erit dissonum, prout illi repugnat. Et non raro contingit, quod eademem entitas, iuxta diversa connotata, aut terminos, vel iuxta eundem terminum diverso modo consideratū dicat diversas habitudines reales intrinsecas: ut liquet in Petro, qui respectivè ad equum dicit relationem dissimilitudinis, & respectivè ad Paulum relationem similitudinis: & respectivè ad eundem Paulum consideratum secundum naturam specificam dicit relationem similitudinis, & consideratum secundum naturam individualement relationem dissimilitudinis, quamvis visitas numerica, & specifica in Petro, & similiter in Paulo non distinguantur realiter. Ad hunc ergo modum celebratio Missæ, si conferatur cum natura, prout hæc radicatur dictamen de non celebratione illius tempore interdicti, ex se, & ex natura sua est illi dissonis, & si conferatur cum ea, prout radicatur dictamen de eius celebratione tempore non interdicti, est illi conformis, & potest dicere ad eam has diversas habitudines reales, & intrinsecas. Idemque dicendum est de muliere prout est viri, aut non est viri. Ex quo colligitur, quod habitudo, quam dicit obiectum ad naturam rationalem, & in qua consistit moralitas obiectiva radicalis, sit intrinseca & realis, sicut varietur penes diversas leges, quas connotat, & radicatur ipsa natura. Cur ergo non debet idem concedi de *esse* obiectivo morali proximo? Cum hoc tantum differimine, quod moralitas radicalis respicit proxime naturam, & mediante illa diversitatem legum in actu signato, & moralitas proxima respicit proxime ipsam diversitatem legum, & in actu exercito.

Per quod respondetur ad illam explicationem, & confirmationem. Patemur equidem, denominationem provenientem à lege esse denominationem extrinsecam: sed hæc supponit aliquam convenientiam, aut disconvenientiam intrinsecam cum natura rationali in obiectis (sicut in actibus) qua sit moralis obiectiva proxime, connotata lege. Quod non accidit in pretio rerum venalium, quia vincit dependet ex voluntate legislatoris. Idemque dicendum est de accessu viri ad mulierem, qui licet esse suam, vel non suam esset pura denominatione extrinseca; dicit tamen aliquam conformitatem, aut disformitatem cum natura rationali modo supra explicato, & hac ratione moralitas eius obiectiva tam radicalis, quam proxima debet esse realis, & intrinseca.

*De* obiecto moralis proximo non est habitudo ad naturam rationalem, sed ad legem, quæ est realis, & intrinseca. *De* obiecto moralis radicalis non est habitudo ad naturam rationalem, sed ad legem, quæ est realis, & intrinseca.

DUBIUM IV.

Quenam sit regula Moralitatis!

Sicut in ordine artificiali datur quedam regula, cui subiciuntur omnia, quæ ad prædictum ordinem spectant, ita omnia, quæ pertinent ad ordinem morale, debent ab aliqua certa regula dirigi. Et sicut omnes actus artificiales ab eadem regula mensurantur, taliter quod, si cum illa adæquantur, sunt recti; & si ab illa discordant, sunt defectuosi: pariter una debet esse regula omnium actuum moralium, ita ut si cum ea conformentur, sint boni; & si illi repugnant, sint pravi. Qua ratione, quod directe est regula actus boni, indirecte est regula actus mali. Hæc autem regula potest dividi in proximam, & remotam: & de utraque procedit dubium, quod præcipuum nostram considerationem exposcit in hoc tractatu. Triatamen sunt, de quibus potest dubitari, nempe lex æterna, dictamen rationis practica, & natura rationalis, quæ est eius radix. Pro quibus sit:

§. I.

Dubij resolutio in duabus assertionibus.

52 D icendum est *primò*, naturam rationalem, quamvis possit dici *regula radicalis moralitatis*, non tamen esse formaliter regulam illius. Hæc assertio quoad primam partem satis constat ex dictis duobus præced. num. 48. Quoad secundam verò partem videtur consentanea D. Thomæ: quia nunquam assignat naturam rationalem secundum se pro regula formali moralitatis. Eam expresse tenent communiter Thomistæ; & ex extraneis, Mastrius disp. 6. de Peccatis à num. 74. & alij.

Et probatur ratione: Nam si natura rationalis esset regula formalis moralitatis, sublata, aut præcisa lege, esset formaliter peccatum id, quod est contra eius inclinationem; sed hoc non est admitendum: ergo natura rationalis secundum se non est formalis regula moralitatis. Maior constat: nam quidquid adversatur regula formali moralitatis, nequit non esse formaliter peccatum in ordine moralis; sicut quidquid opponitur regule formali artificiali, est etiam peccatum (ut sic dicamus) in ordine artificiali. Minor verò probatur *primò* autoritate Scripturæ: Nam Paulus 4. ad Roman. ait: *Vbi non est lex, nec prævaricatio*, & cap. 7. Peccatum non cognovi, nisi per legem. Secundò autoritate Patrum, D. August. exponens illud Psal. 118. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ, sic ait: Si prævaricantes sunt omnes peccatores terræ, nullus est utique sine prævaricatione peccatum: nulla est autem prævaricatio sine lege*.

Pauli Theol. Salm. Tom. II.

*Idem* tradit lib. 2. de Peccatorum meritis. & remis. cap. 16. D. Ambrosii lib. 1. de Paradiso cap. 8. inquit: *Non enim confiteret peccatum, si interdubio non fuisset. Quid enim est peccatum, nisi divine legis prævaricatio, & celestium inobediencia præceptorum*.

Tertiò ratione: nam si esset peccatum id, quod est contra naturam rationalem secundum se, sublata, aut præcisa lege, nullum esset discrimen inter malitiam physicam, & moralem; ac proinde error invincibilis esset peccatum, sicut error vincibilis, quia est contra inclinationem naturæ rationalis; sed hoc est prorsus falsum: ergo id, quod est præcise contra naturam rationalem secundum se, non est formaliter peccatum.

53 Respondebis fortè, errorem invincibilem non esse peccatum formaliter ex defectu libertatis, sed tantum fundamentaliter, quia est contra naturam rationalem; & si adit libertas, redditur formaliter peccatum, præcise quia est contra prædictam naturam.

Contrà est: Ergo quod est iuxta inclinationem naturæ rationalis, si adit libertas, erit formaliter bonum: Hoc autem est falsum: ergo neque est moraliter malum formaliter, ex eo præcise quia est contra naturam rationalem secundum se. Minor probatur ad hominem contra Vazquez: Nam idem et actus numero potest in eius sententia transire de bono in malum, v.g. volitio vescendi carnibus ad naturalem corporis sustentationem; sed hic actus est iuxta inclinationem naturæ rationalis: ergo id, quod est iuxta inclinationem naturæ rationalis, & si exerceatur liberè, non est formaliter bonum morale præcise ex hoc capite.

54 Dicendum est *secundò*, legem æternam esse primam regulam moralitatis, non verò proximam, sed remotam (idemque dicendum est de omni alia lege divina positiva, & humana) dictamen verò rationis practicum esse regulam proximam. Hæc conclusio quoad omnes eius partes traditur expresse à D. Thoma pluribus in locis, præcipue infra quæst. 71. art. 6. vbi ait: *Regula voluntatis humane est duplex, una propinqua, & homogenea scilicet ipsa humana ratio: Alia vero & prima regula, scilicet lex æterna, que est quasi ratio Dei*. Div. Thomam sequuntur eius discipuli, & Mastrius disp. 5. de Actibus humanis num. 11. referens pro hac sententia suum Subtilem Doctorem in quodlibet. 18. infra E.

Et probatur quoad primam partem ratione D. Thomæ infra quæst. 19. art. 4. Nam omnis actus cuiuscunque causæ creatæ in omni linea magis pendet à Deo, tam in genere causæ efficientis, quam in genere causæ regulantis, quam ab alia causa secunda: ergo oportet concedere in Deo aliquid, quod sit prima regula in



ordine morali, à qua actus morales, & omnes alia regulae dependant; sed hæc nequit esse alia, quam lex æterna in eius mente existens: & propterea infra quest. 91. art. 1. hanc legem æternam describens ait: *Est ratio gubernationis rerum in Deo, sicut in Principe universitatis existens*: Ergo lex æterna est prima regula moralitatis.

Et confirmatur *primò*: Nam Deus est finis ultimus hominis, ut est agens morale: ergo etiam in Deo debet residere prima regula moralitatis. Consequenter probatur: Nam si Deus est ultimus finis, etiam ad ipsum attinet primò hominem ad talem finem dirigere: ergo in Deo debet existere id, per quod illum dirigit ad talem finem; sed hoc vocamus *legem æternam*, & primam regulam: ergo lex æterna est prima regula moralitatis.

Confirmatur *secundò*: Nam prima regula debet esse omnino indefectibilis ex se in regulando; sed nulla creatura ex se potest esse omnino indefectibilis in regulando, alias esset omnino impeccabilis: ergo lex æterna in mente divina existens est prima regula moralitatis.

55 Quòd hæc lex æterna, & alia lex humana non sit proxima regula moralitatis, probatur. Nam prædictæ leges non dirigunt immediate actus morales, sed dictamen rationis applicans illas: ergo dictamen rationis est proxima regula moralitatis, & non lex divina, aut alia lex humana. Patet consequentia: nam regula proxima est id, quod proximè dirigit actus morales.

Et confirmatur: Nam quidquid est contra dictamen rationis, est moraliter malum, & quidquid est illi conforme, est moraliter bonum; sed omne moraliter bonum, aut malum desumitur per conformitatem, aut deformitatem cum lege: ergo dictamen rationis habet rationem legis. Sed lex æterna, & alia leges non obligant, nisi incontinentur per dictamen rationis: ergo lex æterna, & alia leges sunt regula remota moralitatis, & dictamen rationis est regula proxima.

§. II.

Argumenta primæ assertioni adversantia.

56 **A**dversus primam, & præcipuam assertionem sentiunt Suarez in præf. disp. 2. sect. 2. & disp. 7. sect. 1. Vazquez disp. 73. 95. & 97. Arriaga disp. 19. sect. 1. Amicus disp. 17. sect. 7. & alij asserentes, eos actus, qui sunt prohibiti quia *mali*, ut odium Dei, mendacium &c. habere malitiam moralem antecedenter ad omnem legem, & dictamen, vnicuique eorum regulam moralem esse naturam rationalem.

Arguitur *primò* ex illa distinctione ab omnibus accepta, quòd aliqua sunt mala, quia prohibita, ut estus carnis in die veneris; & alia sunt prohibita, quia mala, ut odium Dei, & mendacium: item plura sunt bona, antequàm præcipiantur: nam amor Dei (v. g.) ideo præcipitur, quia est bonus: ergo non intelliguntur hæc bona, aut mala per habitudinem ad legem, sed per solam habitudinem conformitatis, aut deformitatis ad naturam rationalem.

Respondetur, eam malorum distinctionem admitti ab omnibus in hoc sensu, quòd aliqua sunt mala, quia prohibita sunt præcisè lege positivæ; alia verò prohibentur lege positiva, non quia sint mala moralia formaliter ante omnem legem, sed quia sunt contra legem naturalem, & consequenter æternam. Vnde non sequitur, aliquid esse malum morale formaliter, præcisè quia est contra naturam rationalem. Videatur D. Thomas infra quest. 71. art. 6. ad 4. Potest tamen concedi, quòd in his, & similibus actibus est aliqua malitia fundamentalis per habitudinem disconvenientiæ ad naturam rationalem; iuxta dicta dubio precedenti. Pariformiter de actibus, qui dicuntur boni secundum se, dicendum est, quòd formaliter tantum sunt boni in linea physica, & fundamentaliter in linea morali. Et hoc sufficit, ut illi actus, qui sunt contra naturam naturam, prohibeantur à lege æterna; & alij, qui sunt iuxta illam, præcipiantur.

57 Sed dices: Nam iuxta D. Thomam, loco proximè allegato, peccatum, ex hoc ipso quòd est inordinatum, iuri naturali repugnat: ergo ante omnem prohibitionem per legem, sive æternam, sive naturalem odium Dei (v. gr.) & mendacium sunt mala moraliter. Patet consequentia: quia peccatum non repugnat legi æternæ, nisi quatenus repugnat legi naturali.

Respondetur, sensum D. Thomæ non esse causalem, quasi inordinatio formalis in genere moris sit prior, quam prohibitio per legem naturalem; sed esse formalem, ad eum modum quo hæc propositio, *Ex eo, quòd Petrus est homo, est animal rationale*, reddit sensum formalem, in quo invenitur, quòd per id ipsum, quo Petrus est homo, est etiam animal rationale. Similiter ergo per id ipsum, quo peccatum est inordinatum, est oppositum legi naturali, itant in peccato nihil aliud sit esse inordinatum, quam esse oppositum legi naturali; sicut nihil aliud est esse hominem, quam esse animal rationale. Vel si reddat sensum causalem, debet exponi non de oppositione legi naturali, prout hæc exercet munus legis; sed prout coincidit cum natura rationali ante dictamen rectæ rationis, quo patet peccatum tantum dicit deordinationem in genere physico, vel fundamentalem in genere moris.

58 Arguitur *secundò* (& erit replicata contra dicta) nam data hypothese, quòd Deus non præciperet amorem sui, nec prohiberet odium sui, amor Dei esset formaliter honestus, & dignus laude, & odium Dei esset inhonestum, & dignum vituperio; sed honestas vnius, & deformitas alterius non desumeretur per ordinem ad legem, nec habet, vnde proximè desumatur, nisi per ordinem ad naturam rationalem: ergo moralitas formalis desumitur per ordinem ad eam.

Et confirmatur *primò*: Nam si per impossibile Deus non esset, & homo existeret cum eadem natura, quam nunc habet, adhuc in hac hypothese mendacium esset peccatum formaliter; & dare elemosynam esset bonum moraliter: ergo tunc sola natura rationalis esset regula moralitatis: ergo etiam nunc.

Et confirmatur *secundò*: Deus pro priori ad suam legem obligantem sive per modum præceptivi, sive per modum prohibitionis, cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ; quòd odium sui est aversum suæ bonitati, & amor sui est consonus illi: ergo eo ipso, quòd illis libertas contingat, sunt in genere morali. Patet consequentia: nam omnis bonitas, vel malitia moralis, supposita libertate, debet desumi per ordinem ad ultimam finem, qui est bonitas divina.

Ad argumentum respondetur negando maiorem: Nam tunc actus amoris solum haberet honestatem physicam, vel fundamentalem moralem, quæ desumeretur radicaliter per ordinem ad bonitatem divinam, cui congruit physice, & proximè per ordinem ad naturam rationalem, in qua est inclinatio ad se ordinandam in prædictam bonitatem, ut est finis naturalis. Et actus odij Dei solum haberet dehonestatem physicam, vel fundamentalem moralem desumptam per ordinem ad eandem divinam bonitatem, & naturam rationalem ex vi rationis opposita. Sed pro huius luce, nota (ut præcludamus quandam objectionem) in his actibus, qui dici solent *intrinsicè mali*, nulla potest cadere dispensatio: quia necessariò prohibet Deus odium sui, & mendacium. Ex quo colligitur, quòd lex æterna in Deo existens sit in illo necessariò; ad quod sufficit, quòd dicant oppositum cum aliquo ex prædictis divinis; v. g. mendacium cum veritate divina: & odium Dei cum bonitate divina. Vnde in Deo necessariò est lex æterna prohibens illa. Cum hoc tamen coheret, quòd huiusmodi lex non existat quoad nos, hoc est, quòd Deus illam non nobis manifestet per habitum synderesis: quia hic habitus est separabilis, & distinctus ab intellectu. In qua hypothese prædicti actus tantum essent mali fundamentaliter in linea morali, estò essent formaliter liberi: nec essent digni vituperio propter dicto: quia hoc, sicut & laus rigorosè sumpta

pendent à lege æterna, & à ratione illam applicante.

Ad primam confirmationem respondetur aliam, negando hypothese, vel implicatoriam per locum ab intrinseco: Quia si Deus non esset, nec esset in nobis lex naturalis, quæ est participatio legis æternæ. Vel deberet dici, quòd homo esset prima lex, primæque regula moralitatis; quòd est idem, ac esse Deum: sicut si non haberet causam efficientem sui; vel non esset, vel esset ens à se & Deus. Vnde de eius operationibus idem dicendum foret, ac de operationibus Dei, de quibus non nihil infra dicemus. Sed, permilla hypothese, negamus, quòd mendacium sit futurum peccatum, nec elargitio elemosynæ esset formaliter bona in linea morali: Quia homo non esset prima regula moralitatis, neque supponeret aliam, à qua tanquam à prima aliquam regulam moralitatis participaret: Quibus deficientibus, natura rationalis solum est principium physicum.

Ad *secundam* respondetur, quòd Deus sive per scientiam simplicis intelligentiæ, sive per scientiam visionis nequit cognoscere peccatum, aut bonum morale pro priori ad suam legem intimatam per dictamen rationis rectæ. Vnde si cognoscatur à Deo bonum morale, aut malum morale formaliter ut possibile, ut futurum, aut ut existens, etiam cognoscenda est lex æterna, ut possibile, aut futura, aut existens, non in seipsa, quia est æterna, & necessaria, sed prout intimata per prætatum dictamen.

59 Arguitur *tertio*: Nam in Deo actus misericordie, iusticie, & aliarum virtutum sunt actus morales formaliter, & tamen respectu Dei non est vlla lex: ergo non omnis moralitas dependet à lege. Et confirmatur *primò*: Nam plures sunt actus moraliter boni, qui nullam habent legem præcipientem, ut actus consilij: ergo idem, quòd prius. Et confirmatur *secundò*: Nam per actum ex obiecto bonum, & ex circumstantia malum potest adimpleri præceptum, ut si quis audiat sacrum propter hanc gloriam, sed præceptum nequit esse regula prædicti actus; alias esset bonus, & malus moraliter: esset malus ob prayam circumstantiam finis; esset bonus, quia omnis actus conformis regulæ morali est moraliter bonus: ergo.

Ad argumentum respondetur concedendo maiorem; & negando minorem: Nam in Deo datur dictamen prudentiæ, quo non solum dirigit creaturas, sed etiam suam voluntatem, ut alibi diximus. Ideoque exercet rationem legis respectu ipsius Dei. Abique vlla tamen imperfectione: quia cum eius voluntas sit formaliter ipsa lex, excludit subordinationem, & consequenter imperfectionem.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd actus consilij licet non cadant sub lege, Nnn a illos



ad 1. ubi ait: *Dicendum, quod sicut Dionysius dicit in cap. de Divin. Nomin. bonum causatur ex integra causa; malum autem ex quocunque defectu. Et ideo, ad hoc quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit, sive quod secundum suam naturam sit malum; sive quod apprehendatur, et malum: sed ad hoc, ut sit bonum, requiritur, quod utroque modo sit bonum.*

Sed hanc solutionem rejiciunt communitate Theologi & plures extra Scholam D. Thomæ. Et merito: nam huiusmodi actus est liberè elicitus, ut supponitur; sed actus liberè elicitus & in individuo nequit esse indifferens ergo vel est bonus, vel malus moraliter, non solum fundamentaliter, sed etiam formaliter; sed non est malus formaliter: ergo est bonus. Neque ex prædicta doctrina D. Thomæ prædicta solutio aliquid subsidij accipit: quia loquebatur de opere factum cum conscientia erronea vincibili.

Quocirca aliter respondetur ad argumentum concedendo maiorem; & negando minorem. Et ad probationem, missis pluribus expositionibus, concessa maiori: neganda est minor. Pro cuius luce notandum est primo, in Jacob accedente ad Liam, ratione dictante esse suam uxorem, plures actus procedere ad actum proprium prudentiæ, ex quibus quidam sunt speculativi, & quidam practici; ita ut veritas illorum sumatur per conformitatem ad ipsas res; & veritas illorum per conformitatem ad appetitum rectum. Et ut rem magis declaremus, prius habuit iudicium speculativum dictans mulierem illam esse Rachel, & uxorem suam: deinde habuit iudicium practicum dictans, conveniens esse prout accedere ad illam, quam suam credebatur; ad quod sequitur actus prudentiæ imperans accessum, & ipsemet accessus. Inter hos actus hoc est discrimen, quod primum iudicium fuit falsum, ut ex se patet: secundum fuit verum, quia solum dictabat conveniens esse appetitui recto ita operari hic & nunc, & hoc est perpetuo verum, neque unquam potest apprehendi ut falsum adhuc speculative.

Notandum est secundo, aliud discrimen esse inter prædicta iudicia: & consistit in eo, quod primum præcedit remore ad prudentiam, & operationem externam; sed posterius præcedit proximè: unde hoc potius, quam illud debet esse regula bonitatis illius operationis. Et cum in hoc vltimo iudicio semper sit veritas, potest esse participatio legis æternæ, quæ etiam dictat conveniens esse hic & nunc reddere debitum illi, quam certo moraliter esse suam credebatur. Neque hoc vltimum iudicium vltimo potest esse falsum, ex eo quod dependet a iudicio præcedenti speculative. Tam, quia tantum dependet ab illo tanquam a conditione, & propositione materiæ, cui prædictum iudicium practicum applicandum est: Tum etiam: quia primum

ad illud iudicium, est falsum; ita opus ad illud sequutum est malum, licet excusetur à culpa propter ignorantiam invincibilem. Et iuxta hunc modum dicendi accessus Jacob cum Lia fuit malus, licet non imputetur ei propter ignorantiam invincibilem. Quæ solutio videtur consentanea D. Thomæ infra quæst. 19. art. 6.

ad 1. ubi ait: *Dicendum, quod sicut Dionysius dicit in cap. de Divin. Nomin. bonum causatur ex integra causa; malum autem ex quocunque defectu. Et ideo, ad hoc quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit, sive quod secundum suam naturam sit malum; sive quod apprehendatur, et malum: sed ad hoc, ut sit bonum, requiritur, quod utroque modo sit bonum.*

Sed hanc solutionem rejiciunt communitate Theologi & plures extra Scholam D. Thomæ. Et merito: nam huiusmodi actus est liberè elicitus, ut supponitur; sed actus liberè elicitus & in individuo nequit esse indifferens ergo vel est bonus, vel malus moraliter, non solum fundamentaliter, sed etiam formaliter; sed non est malus formaliter: ergo est bonus. Neque ex prædicta doctrina D. Thomæ prædicta solutio aliquid subsidij accipit: quia loquebatur de opere factum cum conscientia erronea vincibili.

Quocirca aliter respondetur ad argumentum concedendo maiorem; & negando minorem. Et ad probationem, missis pluribus expositionibus, concessa maiori: neganda est minor. Pro cuius luce notandum est primo, in Jacob accedente ad Liam, ratione dictante esse suam uxorem, plures actus procedere ad actum proprium prudentiæ, ex quibus quidam sunt speculativi, & quidam practici; ita ut veritas illorum sumatur per conformitatem ad ipsas res; & veritas illorum per conformitatem ad appetitum rectum. Et ut rem magis declaremus, prius habuit iudicium speculativum dictans mulierem illam esse Rachel, & uxorem suam: deinde habuit iudicium practicum dictans, conveniens esse prout accedere ad illam, quam suam credebatur; ad quod sequitur actus prudentiæ imperans accessum, & ipsemet accessus. Inter hos actus hoc est discrimen, quod primum iudicium fuit falsum, ut ex se patet: secundum fuit verum, quia solum dictabat conveniens esse appetitui recto ita operari hic & nunc, & hoc est perpetuo verum, neque unquam potest apprehendi ut falsum adhuc speculative.

Notandum est secundo, aliud discrimen esse inter prædicta iudicia: & consistit in eo, quod primum præcedit remore ad prudentiam, & operationem externam; sed posterius præcedit proximè: unde hoc potius, quam illud debet esse regula bonitatis illius operationis. Et cum in hoc vltimo iudicio semper sit veritas, potest esse participatio legis æternæ, quæ etiam dictat conveniens esse hic & nunc reddere debitum illi, quam certo moraliter esse suam credebatur. Neque hoc vltimum iudicium vltimo potest esse falsum, ex eo quod dependet a iudicio præcedenti speculative. Tam, quia tantum dependet ab illo tanquam a conditione, & propositione materiæ, cui prædictum iudicium practicum applicandum est: Tum etiam: quia primum

num illud iudicium, est falsum speculative, est tamen verum practice: quia prudentia dictat, ut credamus obiecto, seu opinioni sufficienter probabili, si facta sufficienti diligentia eius falsitas non deprehendatur; & esset manifestè imprudens, quoniam nisi certò & evidenter verum vellet credere: & iudicium posterius potius dependet ab hoc priori, ut practico, quam ut speculative.

Ex his iam constat, quod in Deo verè existat lex æterna, quæ sit regula accessus Jacob ad Liam, & quod hæc participetur per dictamen rationis, quod est prudentia, non solum prout imperantis, sed etiam ut consiliantis & iudicantis conveniens fuisse Jacob accedere ad Liam; quo pacto concurrunt Eubulia, Synesis, & Gnome, quæ sunt virtutes adjunctæ prudentiæ strictæ. Et certum est, quod omnis actus virtutis debet terminari ad verum, aliàs prædicta virtus non esset dispositio ad optimum, nec differret ab opinione. Et non minus certum est, quod actus virtutis est participatio Dei.

Arguitur secundo (& procedit contra secundam partem assertionis, quatenus asserit, dictamen rationis esse immediatam regulam moralitatis, & aliam quæcumque legem esse remotam). Nam dictamen rationis nequit dirigere actus humanos, nec potest esse lex, nisi inquantum applicat aliquam aliam legem, vel divinam, vel naturalem, vel humanam; sed hoc pacto non habet rationem legis, sed tantum rationem applicationis illius: ergo dictamen rationis non habet rationem legis; ac proinde alia leges sunt regula proxima moralitatis. Minor probatur: nam actus intellectus etiam proponit, & applicat obiectum voluntatis; & tamen se habet tantum ut conditio: ergo dictamen rationis non habet vim legis. Tum etiam: nam actus intellectus applicans legem se habet, sicut applicans combustibile igni; sed applicans combustibile igni tantum se habet ut conditione sine qua non: ergo.

Ad hoc argumentum respondetur, quod dictamen rationis, quod coincidit cum dictamine prudentiæ, adiunctis sibi virtutibus Synderesis, Eubulie, Synesis &c. ita applicat legem divinam, naturalem, & humanam, quod simul sit ipsa lex participans legem æternam, & regulantem adhuc eos actus, qui lege humana præcipiuntur, aut prohibentur: quia dictat, patendum esse cuiuslibet præcipientis, hoc est porcellatè à Deo derivata, & participata. Ratio autem, cur dictamina harum virtutum habeant rationem legis, & non tantum conditionis, aut applicationis, est: quia præstat lex æterna. Lex enim naturalis, prout coincidit cum Synderesi, primò dictat, quid faciendum sit, aut fugiendum in communi. Postea, prout coincidit cum dictamine Eubulie, Synesis, & Gnome, be-

ne consiliat, & iudicat, dicatque, *Hoc* (in particulari) *faciendum est hic & nunc*, vel *fugendum*. Tandem per dictamen prudentiæ imperat, dicendo, *Fac hoc*; aut, *Non facias hoc*. Hæc autem omnia munera præstat dictamen rationis, prout est actus similitum virtutum in nobis residentium, & à Deo promanantium. Et hac ratione exercet verè & propriè rationem legis, & non solum rationem applicationis, seu conditionis sine qua non.

Ex hac usque dictis facile quis deducere potest, in quo consistat tam in actibus, quam in obiectis bonitas, & malitia moralis, quæ sunt species moralitatis vtsic. Bonitas enim vtsic in actibus consistit in quodam modo intrinseco caritati illorum superaddito per modum habitudinis ad obiectum, prout hoc est consonum rectæ rationi, & legi æternæ: In quo etiam manet explicata bonitas obiectiva proxima, quæ importat etiam habitudinem conformitatis ad eandem rationem, & legem. Malitia autem formalis in actibus consistit etiam in modo superaddito per modum habitudinis ad obiectum, prout dissonum rationi, & legi æternæ, quod etiam importat habitudinem deformitatis ad illas. Eo modo discurrendum est de bonitate, aut malitia tam formali, quam obiectiva desumptis per ordinem ad circumstantias, & finem. Hinc etiam potest quis deducere definitionem moralitatis tam in communi, quam in speciali, si dicat, quod moralitas formalis est habitudo formalis, & actualis ad obiectum, ut subiectum regulis morum. Et moralitas obiectiva: subiectio passiva motiva, seu terminativa regulis morum. Item bonitas formalis est habitudo actualis ad obiectum, ut conforme regulis morum. Bonitas obiectiva est habitudo conformitatis cum regulis morum per modum motivi, aut terminativi. Et malitia formalis est habitudo actualis ad obiectum ut disforme regulis morum: Et obiectiva est habitudo disformitatis motiva, seu terminativa cum regulis morum.

DUBIUM V.  
*An idem actus simul, aut successive possit esse bonus & malus moraliter?*

Dubium hoc potest procedere tam de actu interiori voluntatis, quam de actu exteriori. Pro quo supponimus primò, eundem actum numero in esse moris non posse esse simul, aut successive bonum, & malum. Et in hoc sensu accipiendus est administratus D. Thomas, dum infra quæst. 20. art. 6. ait: *Sic ergo accipitur unus actus, prout est in genere moris, impossibile est, quod sit bonus, & malus bonitate, & malitia morali*. Et ratio breviter est: nam bonitas, & malitia sunt differentie essentialiter dividentes actum in genere moris: et



quo est duplex actus in genere moris species distinctus: ergo etiam numero. Patet consequentia: nam maior distinctio, qualis est specifica, supponit minorem, qualis est numerica. ¶ Et confirmatur: Nam idem actus physicè habens duplice bonitatem moralem, aut malitiam, aut speciem distinctam, est duplex moraliter: ergo potiori titulo actus affectus bonitate, & malitia morali. ¶ Confirmatur secundò exemplo, quo videtur D. Thomas loco relato: Nam eadem superficies, si ex vna parte est alba, & ex alia nigra, nequit esse vna numero, aut specie in genere colorati: ergo idem dicendum est de actu in genere moris; prout affecto bonitate, & malitia.

64 Supponimus secundò, eandem numero actionem exteriorem posse esse simul bonam, & malam respectu diversorum. Et probatur nonnullis exemplis, quibus simul explicatur sensus huius positionis: Nam actio, & passio sunt vnos motus; sed ut proveniebat activè à Iudæis, erat mala, & ut patiebatur à Christo, erat bona: ergo eadem actio exterior respectu diversorum potest simul esse bona, & mala. Quo exemplo videtur D. Thomas loco proxime relato ad 2. Item, ut ait D. Thomas ibidem ad 3. actio dandi elemosynam à seruo ex malà voluntate, imperata à Domino ex recta, respectu serui est mala; & respectu Domini est bona; sed actio serui reputatur ut vna cum actione Domini, sicut actio instrumenti cum actione causæ principalis: ergo idem quod prius. Tandem eadem actio exterior celebrandi Missam potest esse mala ex parte Sacerdotis, & bona ex parte, qui obtulit stipendium. Verum quidem est (ut scrupulum pellamus) quòd in rigore sunt diversæ actiones, sed quia vna completur per aliam, accipitur ut vna. Et in hoc sensu procedebat suppositio. Unde tota difficultas reducit ad eandem actionem in esse naturæ, sive interioris, sive exterioris, & respectu eiusdem voluntatis.

65 Pro quo supponimus tertio, eandem actionem numero exteriorem posse esse bonam, & malam successivè. Ita communiter Theologi cum D. Thoma loco supra relato, ubi ait: *Et similiter, si in aliquo actu continuo primò feratur intentio ad bonum, & postea ad malum, sequitur, quòd sit idem actus numero secundum suam naturam*; constat autem prædictum actum esse bonum, & malum moraliter iuxta intentionem intentionis: ergo idem actus numero in esse naturæ potest esse bonus, & malus moraliter successivè. Unde solum remanet dubium circa actum internum; eam simul, quam successivè, & circa actum externum simul.

Circa primam partem duplex versatur opposita sententia. Prima est affirmativa. Pro qua referuntur Almainus, Caietanus, Lorca, Corduba, & plures alij, intra, quam extra Scho-

lam D. Thomæ. Secunda è regione opposita est negativa. Ita tenent ex Societate Vazquez, Suarez, Salas, Valentia, Amicus, Aversa, Arriaga, Ex Schola D. Thomæ, Lezana, Montefinos, Curiel, Ioannes à Sancto Thoma, N. Salm. in præf. disp. 6. dub. 1. & alij. Et ex Schola Scoti Maltrius cum alijs.

Contra secundam partem etiam militat duplex sententia extremè opposita. Vna negativa, quam docent Suarez, Amicus, Becanus, Arriaga, Ioannes à Sancto Thoma, & alij. Altera est affirmativa, quam asserunt Caietanus, Medina, Vazquez, Curiel, Lezana, N. Salm. loco proxime relato dub. 2. & Maltrius referens pro se suum Scotum, & D. Bonav.

## §. I.

Prior assertio negans similitudinem bonitatis, & malitiam in eodem actu.

66 Dicendum est primò, eundem numero actum non posse esse simul bonum, & malum moraliter. Et probatur primò nonnullis autoritatibus D. Thomæ (misissis testimonijs Scripturæ, & aliorum Patrum) Prima desumitur ex hac quæst. 18. art. 5. ad 4. ubi ait: *Quòd circumstantia quandoque sumitur, ut differentia essentialis obiecti, secundum quod ad rationem comparatur; & tunc potest dare speciem actui morali. Et hoc oportet esse quandoque circumstantia transmutat actum de bonitate in malitiam.* Ex quo testimonio probatur nostra conclusio: Nam quod actus habet obiectum bonum secundum se, & aliquam circumstantiam pravam, iuxta D. Thomam circumstantia tribuit non solum primam speciem malitiam, sed absolutè primam speciem moralitatis; sed cum hoc non potest coherere, quòd prædictus actus sit moraliter bonus ex obiecto, & moraliter malus ex circumstantia, quia circumstantia iam supponeret primam, & essentialè moralitatem desumptam ex obiecto: ergo, secundum D. Thomam, idem actus nequit esse simul bonus, & malus moraliter. ¶ Secunda desumitur ex quæst. 19. art. 2. ad 2. ubi ait, quòd velle bonum obiectum, quando non debet fieri, non est velle bonum obiectum: ergo obiectum secundum se bonum aliqua circumstantia vitium non est bonum moraliter; alias voluntas iam vellet bonum morale; sed obiectum, quod non attingit ut bonum morale, nequit communicare actui bonitatem moralem: ergo actus aliqua circumstantia vitium nequit esse simul bonus, & malus moraliter.

Tertia desumitur ex 2. dist. 38. quæst. 1. art. 4. ad 4. ubi ait: *Dicendum, quòd cum aliquis vult dare elemosynam propter inanem gloriam, hic est vnus actus voluntatis, & hic actus totus est malus, licet non ab omni eo, quod*

quod in eo est, habeat malitiam. Quo quid clarius?

Et probatur primò ratione fundata in illo prologo D. Dionysii. *Bonum ex integra causa; malum ex quocunque defectu.* Nam actus ex aliqua parte malus, ex nulla parte est conformis rectæ rationi; ergo nequit idem actus esse simul bonus, & malus moraliter. Patet consequentia: nam actus, ex ea parte, qua est bonus, perit esse conformis regulæ moralitatis, quæ est recta ratio. Antecedens verò probatur: Nam recta ratio non dicitur actum ex aliqua parte malum, imò reprobatur ex omni parte talem actum; sicut reprobatur ex omni parte totum hoc obiectum dare elemosynam propter inanem gloriam, aut ex furto: ergo actus ex aliqua parte malus ex nulla parte est conformis rectæ rationi.

67 Et confirmatur, simulque explicatur hæc ratio, præcavendo evasionem Adversariorum. Pro cuius luce notandum est primò, quòd proxima regula moralitatis, iuxta dicta dubio precedenti, est iudicium præcticum prudentiæ, quò indicat de convenientia actus hic & nunc, & imperat illum. Quocirca, si prudentia non potest indicare esse convenientes elicere hic & nunc actum ex aliqua parte vitium, nec illum imperare, plane sequitur, actum ex nulla parte esse consonum rectæ rationi, ac proinde bonum moraliter.

Notandum est secundò, ad iudicium prudentiæ plura requiri, sine quibus, neque potest iudicare rectè de convenientia actus hic & nunc, nec illum imperare. Primò enim requiritur rectitudo voluntatis in ordine ad bonum finem, ut tradit D. Thomas 2. 2. quæst. 47. art. 13. ad 2. Et ratio est: quia prudentia præstituit finem hic & nunc actibus omnium virtutum moralium, ad differentiam synderesis, quæ illum præstituit in communi: v. g. finis temperantiæ abstractè & in communi solum dicit temperatè comedere, quem synderesis dicit, & præstituit sed finis prudentiæ est, ut comedatur tantum, tali loco, & cum reliquis circumstantijs: ergo rectitudo voluntatis in ordine ad bonum omnino requiritur ad dictam prudentiam. Ad quod accedit, quòd finis est habet in practicis, sicut principia in speculativis: ergo sicut nequit deduci conclusio certa, nisi ex principijs certis, ita nequit imperium, quòd habet ut conclusio in practicis, esse rectum, nisi præstituat finis bonus, & honestus.

Deinde requiritur bonum consilium, & iudicium rectum de medijs eligendis, quæ est altera præmissa in syllogismo practico: Nam prudentia non dicitur hic & nunc esse operandum, nisi præsupponatur actus Eubulix, & Synesis, quæ per se deserunt prudentiam, & per se ordinantur ad actum principalem illius, qui est imperium. Et propterea D. Thomas 2. 2. quæst.

49. art. 6. ad 3. ait: *In recta ordinatione ad finem, quæ includitur in ratione prudentiæ, importatur rectitudo consilij, iudicij, & præcepti, sine quibus recta ordinatione in finem esse non potest.*

Vicimò requiritur circumspectio, quæ importat attentionem ad præcavenda mala, quæ possunt bonis admisceri. Et sic procedere debet consideratio omnium circumstantiarum hic & nunc occurrentium, & collatio earum cum fine, & cum medijs, iuxta id quò docet D. Thomas loco proxime relato art. 7. Ideoque præcipere aliquid sine debita attentione circumstantiarum à D. Thoma 2. 2. q. 53. art. 4. computatur inter peccata opposita prudentiæ, & appellatur *Inconsideratio.*

68 Ex his confirmatur præfata ratio, & simul refellitur communis evasio Adversariorum: Nam actus ex aliqua parte malus, ex nulla parte potest dici prudens: ergo ex nulla parte queit esse bonus. Antecedens probatur: nam actus, vel habet bonum obiectum, & malum finem, ut dum quit dat elemosynam propter inanem gloriam: vel habet obiectum malum, & bonum finem, ut dum quis furatur ad dandam elemosynam: vel habet obiectum bonum, & bonum finem, sed non habet debitam circumspectam, ut si quis redderet debitum matrimoniale ob finem præcipuum matrimonij in loco sacro; sed nullus ex his actibus ex aliqua parte potest dici prudens: ergo. Minor quoad singulos actus probatur: finis actus non supponit bonitatem finis; sed prudentia nequit dicere actum, qui non habeat bonum finem, ex defectu primi requisiti proxime relati: ergo hic actus non dicitur à prudentia. Deinde secundus actus non supponit consilium Eubulix, & iudicium Synesis, cum sit circa malum medium; sed prudentia non dicitur actum, qui non præsupponit actus prædictorum virtutum ex defectu secundi requisiti: ergo neque hic actus dicitur à prudentia. Tandem tertius actus sit abstractè debitis circumstantijs; sed actus factus sine debitis circumstantijs, est habet bonum obiectum, & finem secundum se, nequit imperari à prudentia ex defectu tertij requisiti: ergo.

Roboratur hoc: Nam ad actum prudentiæ supponi debet bonum consilium; sed consilium bonum, quale est Eubulix, nequit terminari sub vlla ratione ad actum ex aliqua parte pravum: ergo neque sub vlla ratione potest imperari à prudentia. Minor probatur ex D. Thoma in 2. dist. 40. quæst. 1. ad 3. ubi ait, ad rectum consilium requiri debitum finem, bonum medium, & tempus opportunum, & consequenter alias circumstantias. Et sic qui consilium bona media in ordine ad malum finem, ex nulla parte est bonus consiliator. Neque est bonus consiliator ex aliqua parte, qui consilium bonum finem, ut consequendum per pravum medium;



neque qui confuleret bonum finem per medium bonum, sed indebito loco, aut tempore: ergo consilium bonum nequit esse sub aliqua ratione ad actum, qui ex aliqua parte est pravus.

Urgetur hoc: Nam in hoc obiecto, aut complexo, danda est elemosyna propter inam gloriam, secundum eam partem qua includit obiectum bonum secundum se, vel dicitur, aut consilium cum altera compare finis pravi per idem indivisibile iudicium, vel utraque pars dicitur, & consilium à duobus iudicijs distinctis; sed nullo pacto iudicium terminatum ad elemosynam secundum se est actus prudentiæ, aut syneus: ergo non dicitur à prudentia. Minor quoad primam partem non indiget probatione, alias idem iudicium proveniret à virtute prudentiæ, & à vicio sibi contrario: Maximè quia iudicium dicitur malum finem nequit non esse imprudens. Quoad secundam partem ex dictis facile probatur: nam de ratione prudentiæ, & boni consilij est attendere in actu non solum obiectum, sed etiam finem, & reliquas circumstantias: ergo actus consensens, aut præcipiens præcisè obiectum bonum, & non potens consilium finem, & circumstantias, non est actus prudentiæ.

69. Secundò arguitur à ratione: Nam eandem idem actus numero in esse nature potest esse simul bonus, & malus moraliter, in quantum attingit complexum secundum se ex parte bonum, & ex parte malum, uti est hoc complexum. Danda est elemosyna propter inam gloriam: vel hoc; *Errandum est ad dandum elemosynam*: vel hoc, *Reddendum est debitum uxori in loco sacro*, sed actus attingens indivisibiliter, & per modum unius aliquid ex his complexis, nequit ex aliqua parte esse bonus: ergo nequit esse simul bonus, & malus. Maior continet genu nam mentem Adversariorem. Minor vero probatur: nam actus attingens aliquid ex his complexis non respicit illud sub aliqua ratione boni moralis: ergo ex nulla parte est bonus. Minor probatur discurrendo per singula: nam in primo complexo elemosyna præcisè secundum se non movet ad actum, sed ut subordinata fini pravo, alias idem actus consilietur, etiam si non moveret finis pravus: sed elemosyna, ut subordinata fini pravo, non est bona moraliter: ergo non attingitur ab illo actu sub aliqua ratione bona moraliter. Minor probatur: nam ratio *subqua* terminans prædictum actum vel est ipse finis pravus, vel est ipsa bonitas obiecti non secundum se, sed ut reduplicative connotans finem pravam, ex quibus quilibet est mala moraliter: ergo ratio quælibet est mala moraliter: ergo ratio adæquata, sub qua prædictum complexum terminat prædictum actum est mala moraliter: ergo elemosyna, ut subordinata fini pravo, ex nulla parte est bona moraliter.

Item in secundo complexo, in quo finis

est secundum se bonus, & medium pravum ratio *subqua* est bonitas finis non secundum se, sed ut consequibilis per medium pravum; sed ratio *subqua* connotans malum medium nequit esse formaliter bona: ergo secundum complexum non terminat actum sub aliqua ratione bona moraliter.

Tandem in tertio complexo, in quo obiectum secundum se est bonum, & etiam finis, ratio *subqua* terminandi, tam ex parte obiecti, quam ex parte finis formaliter connotat circumstantiam pravam; sed ratio *subqua*, dependens essentialiter tanquam à connotato à circumstantia prava, nequit esse bona formaliter, ut ex sa liquet: ergo tertium complexum, prout terminat prædictum actum, sub nulla ratione est bonum moraliter.

70. Hucusque dicta præcipue probant de actu interiori: sed ex consequenti etiam probant de actu exteriori, sive habeat moralitatem formalem distinctam à moralitate actus interioris; sive non: quia quocunque modo illum participat ab actu interiori: ergo si repugnat, eundem actum interiori esse simul bonum, & malum moraliter, etiam repugnat, actum exteriori esse simul bonum, & malum moraliter.

## §. II.

## Argumenta opposita sententiæ

71. Arguitur primò nonnullis authoritatibus D. Thomæ: Nam in hac quæst. 18. art. 4. ait: *Nihil prohibet actioni habenti unam prædictarum bonitatum deesse aliam, & secundum hoc contingit actionem, quæ est bona secundum speciem, vel secundum circumstantias, ordinari ad finem malum, vel e converso*. Eundem modum loquendi, imo expressiorem habet alijs in locis, quæ omittimus tum brevitate gratia, tum quia enodari possunt eadem solutione. Item infra q. 77. art. 2. probat, peccata suscipere magis, & minus, quia peccatum non dicit privationem rectitudinis *in factio esse, sed in fieri*: ideoque nullus actus est adæquatus, ut non retineat aliquam rectitudinem, quæ possit magis, ac magis privari. Tandem in hac 1.2. q. 1.4. art. 1. ad 2. docet, obstrictas Ægyptias remuneratas esse saltem præmio temporali pro mendacio: quod stare non posset, nisi in illo esset aliqua bonitas moralis ex aliquo fine honesto.

Ad hoc argumentum respondetur, mentem D. Thomæ satis patere ex dictis §. præced. imò veritatem nostræ assertionis satis adduci ex his, quæ adiecit primo testimonio proxime adducto, & nobis obiecto. Siquidem post verba in eo relata addit hæc: *Non tamen est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant, quia quilibet singularis defectus causat malum; bonum*

nam autem causatur ex integra causa, ut Dionysius dicit. Ex his (inquam) verbis satis colligitur veritas nostræ assertionis, tum ob axioma D. Dionysii. Ad hoc allatum: Tum, quia *ly simpliciter* significat, quod in re & exercitio actio nullam habet bonitatem moralem, illam tamen habet ex obiecto, nisi adveniret defectus ex fine pravo. Unde dum in prædicta actione concedit D. Thomas aliquam bonitatem, intelligendus est tantum de bonitate obiectiva fundamentalis, si sermo est de actione externa. Et si sermo est de actu interiori, intelligendus est etiam de bonitate formali fundamentalis prout contra posita obiective fundamentalis. Vel de bonitate fundamentalis obiectiva, prout actus interior potest attingi ut obiectum ab alio actu interiori reflexo: quatenus utraque actio ex se præbet fundamentum, ut actus esset bonus, vel obiective, vel actualiter intra lineam formalem moralem, nisi obstat impedimentum ex aliquo capite formaliter pravo. Eodem modo exponendus est in secundo testimonio. Et tunc ex eo, quod doctrina, seu ratio in eo contenta etiam probat in actu, qui nullum caput secundum se bonum respicit, à quo posset bonitatem aliquam moralem desumere, ut osium Dei.

Ad tertium testimonium respondetur cum D. Thoma 2. 2. quæst. 110. art. 3. ad 2. ubi ita se explicat: *Dicendum, quod obstrictes non sunt remunerata pro mendacio, sed pro timore Dei, & benevolentia, ex qua processit mendacium. Unde signanter dicitur Exod. 1. Et qui timuerunt obstrictes Deum, adificavit illis domos. Mendacium postea sequens non fuit meritorium.*

72. Arguitur secundò: Nam actus attingens obiectum bonum secundum se propter malum finem, v. g. volitio dandi elemosynam propter vanam gloriam, recipit aliquam moralitatem ab obiecto secundum se; sed non moralitatem malitiæ: ergo bonitatis; atque ideo est simul bonus, & malus. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: Tum, quia libere attingit obiectum. Tum etiam: nam bonitas actus desumpta ex obiecto non dependet ex fine, & sic quando habet finem bonum, habet diversam essentialem, & specificam moralitatem ex obiecto, & aliam diversam, & accidentalem à fine: ergo volitio dandi elemosynam propter vanam gloriam etiam recipit moralitatem ab obiecto secundum se. Tum denique: nam ille actus habet rationem *intentionis, & electionis*, itaque, quatenus est electio, specificatur à fine malo, vel ab obiecto per modum medij: sub ratione tamen finis & ut est intentio, specificatur ab obiecto secundum se; sed ut est electio accipit moralitatem à fine, & ab obiecto per modum medij: ergo etiam ut est intentio.

Confirmatur: Nam hoc obiectum, *Danda est elemosyna*, secundum se semper est bonum. *Paul. Theol. Salm. Tom. II.*

num moraliter, & capax tribuendi actui bonitatem moralem, sicut hoc, *Bonum est facientium*; sed ex eo, quod volitio dandi elemosynam ordinat eam ad malum finem, non tollit, quod attingat illud obiectum secundum se: ergo accipit bonitatem moralem ex obiecto.

Ad argumentum respondetur negando maiorem: Quia reverà obiectum secundum se bonum, & actum propter malum finem non est bonum obiective moraliter, sed tantum in esse physico, seu in linea morali fundamentalis: quia non est conforme regulis morum, quæ dictantur prudentiæ, quæ non dicitur dandum esse elemosynam secundum se, sed *quando oportet, ubi oportet, & propter quid oportet*. ¶ Ad primam probationem dicimus, quod etiam actus versans circa obiectum indifferens propter bonum, aut malum finem exerceret libere circa ipsum obiectum, & non propterea recipit ex obiecto aliquam moralitatem, ut infra dicemus. Et ratio utrobique est eadem: Tum, quia libertas non est ipsa moralitas, sed est separabilis ab ea saltem per accidens, ut contingeret, si quis conformetur cum opinione probabilis, vel operetur ex ignorantia invincibili. Tum etiam: quia sicut prudentia non dicitur obiectum indifferens, ita non dicitur obiectum bonum secundum se, nisi attentis omnibus circumstantiis. Et hæc ratio illud obiectum solum terminat actum secundum suam bonitatem physicam.

Ad secundam respondetur negando antecedens. Quia bonitas moralis, quæ desumenda est ex obiecto bono secundum se, licet non dependeat essentialiter à fine bono, & alijs circumstantiis, tanquam à ratione formali; dependet tamen ab illis tanquam à conditionibus sine quibus non, propter rationem proximè tactam. Quocirca, si non concurrant omnes circumstantiæ bonæ, actus nullam moralitatem accipit ab obiecto, sed primam, essentialem, & specificam accipit à circumstantia prava. Et si obiectum connotat omnes circumstantias bonas, ab obiecto accipit primam bonitatem, sed semper cum dependentia ab illis tanquam à connotato, maxime à fine.

Ad tertiam respondetur, quod diverso modo loquendum est de actu terminato ab obiecto bonum propter malum finem in esse physico, ac in esse morali. Si enim sermo sit de eo, prout pertinet ad lineam physicam, fatetur, quod habet rationem intentionis, & electionis, & recipit ab obiecto duplicem bonitatem physicam, aliam sub mune *intentionis*, desumptam ab obiecto secundum se; alteram sub mune *electionis* ab eodem obiecto per bonitatem emendicantem à fine; vel ipso fine intrante in recto per modum rationis *subqua*, aut proxima, aut radicali. At si sermo sit de eo in genere moris, tantum habet rationem *electionis*, & nullam aliam moralitatem habet præter malitiam de-